



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses**

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Caluinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Antidotorum Evangelicorum D. Thomæ Stapletoni, S. Theol. Doctoris, & in Academica Louaniensi S. Script. Professoris Regij, Pars Altera - In Sacrosanctum Euangelium secundum Ioannem

**Stapleton, Thomas**

**Lvgdvni, 1595**

12. Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò. 13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39480**

voluntarium exilium subiit; quo vndecim annis tolerato, & summa pietate exacto, sceliciter in Domino (me oculos eius claudente) obdormiuit. Quod totum partim ad Dei gloriam, partim ad optimi patris mei memoriam hic recolo, qui ab ineunte ætate vsque ad maturam in bonis studiis domi forisque (vt Catholicæ Ecclesiæ seruirem) maximis suis sumptibus me liberaliter enutrit. Sit memoria eius in benedictione.

*Moritur  
Duaci an.  
1575. ubi  
cum me-  
moriam per-  
petua se-  
pelitur.*

12. *Ahuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modò.*

13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

**A**c curatus & prolixus hoc in loco Calvinus est, vt istud testimonium, quo luculenter probatur nõ omnia Christum viua voce docuisse, sed per Spiritum sanctum tum Apostolos tum Ecclesiam multa didicisse quæ de Christi doctrina scripta non sunt, nobis eripiat. Nihil eorum quæ dicit dissimulabo. *Papista* (inquit) *vt sua figmenta pro Dei oraculis obtrudant, hoc loco improbè abutuntur.* A crassa & fœda calumnia orditur. Non enim vt sua aliqua figmenta ab ipsis adinuenta (proprium hoc Caluino aliisque sectariis est) sed vt à maioribus suis tradita & ab Apostolorum tempore per manus accepta dogmata pro doctrina verè orthodoxa atque diuina tueantur, Catholici hoc loco fortiter & constanter vtuntur. Certissimè enim ex eo liquet, Christum Apostolos viua voce omnia non docuisse, quod tamen Christum fecisse Calvinus impudentissimè sustinet, vt supra explicatum est. Et quum contra hanc præcipuè Caluini sententiam hic locus à Catholicis in medium produci soleat, hanc applicationem altissimo silentio inuoluit. Ita nequitia quæ falsò calumniatus est, hanc astutiam adiunxit, vt iuxta Apostolum, *in nequitia & astutia circumueniret*, id est, verè & propriè hæreticum ageret.

*Christum  
viua voce  
omnia non  
docuisse.*

*Suprà cap.  
14. vers.  
26.  
Caluini  
astutia &  
nequitia.  
Ephes. 4.*

Illo ergo capite prætermisso, quid nunc in Catholicis impugnet, videamus. *Christus, inquiunt, nouas Apostolis reuelationes promissit: ergo in Scriptura subsistere non conuenit, supra quam ille suos vocat.* Non est hæc Catholicorum ratiocinatio, sed huiusmodi: Christus viua voce Apostolos omnia non docuit, sed quædam per Spiritum sanctum in cælum assumptus docuit: Ergo in Scriptura Euangelica, quæ non nisi Christi dicta

Tract. 96.

dicta & facta complectitur, omnia non continentur. Ceterum nec hanc nec illam argumentationem admittit Calvinus, pleneque docere contendit, Apostolos à Spiritu sancto nulla alia didicisse quàm quæ Christo viva voce docuerat, Primum (inquit) si cum Augustino loqui placeat, solutio ad manum erit. Verba eius sunt: Quum tacuerit Christus, quis nostrum dicat illa vel illa esse? Aut si dicere audeat, unde probabit? Quis tam vanus aut temerarius, qui, etiam si vera dicat, sine ullo divini testimonio affirmet ea esse quæ dicere tunc Dominus noluit. Respondeo Augustinum in hac disputatione excusandum esse, non sequendum. Sanè apud populum rudem pro concione disputans, cui altiora mysteria aperire non est opus, &

Tract. 97.

quia (ut in sequenti tractatu disputavit) multi hæretici huius occasione sententiæ audacias figmentorum suorum colorare conabantur, aut noluit, aut neglexit illa dogmata perscrutari quæ à Christo studio prætermissa Spiritus sanctus postea Apostolos docuit; maluit potius curiosorum hominum temeraria iudicia illis suis verbis repellere. Alioqui ipsa Augustini verba Calvini sententiam iuvare non posse, paucis docebitur. Duo sunt quasi Augustini argumenta. Primum est; Quum tacuerit Christus (inquit) quis nostrum dicat illa vel illa esse? Aut si dicere audebit, unde probabit? Rectè dicit, Quis nostrum, volens auditorum suorum & præsentium hæreticorum temeritatem compescere. Alioqui aut non ignoravit, aut non est tunc recordatus Augustinus alios nobilissimos Patres, qui ante eum magna gloria in Ecclesia floruerunt, quædam talia disertè designasse, & cõtra hæreticos horum temporum probasse. Gregorius Nazianzenus luculenter contra Eunomianos, Spiritus sancti divinitatem & distinctam personam negantes, quia eam Christus ita distinctè & expressè non docuerat, sicut suam ac Patris personam; respondet, Spiritus sancti divinitatem & personam vnam ea illis esse, de quibus Christus ad Apostolos dixit: Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Quo in loco Iacobi lentum Vvhitakeri de me mendacium præterire non debent, quod in disputatione contra Bellarminum contra me editum. Stapletonus (inquit) lib. 12. cap. 5. dicit quædam non posse ex Scripturis probari, nec Spiritum sanctum esse Deum. Appropria mea verba lib. & cap. citatis hæc sunt. Credere Filium esse Deum, credere Spiritum sanctum esse Deum, credere Christum habere duas naturas, &c. in Scripturis expressa non habentur, sed interpretationes Scripturarum sunt, de fide tamè credenda.

Dogmata  
quæ viva  
voce Christi  
non  
docuit.

Orat. 9. de  
Theologia.

Vvhitakeri  
mendacium.

Disputat.  
9. 6. cap. 9.  
ad 7. arg.

Quantum hæc verba ab aliis discrepant quæ putidus ille disputator futiliter mentiendo mihi impedit, quis demum non videt? Nego in Scripturis expressa haberi. Non nego ex Scripturis posse probari. Imò quum aio esse interpretationes Scripturarum, quis nō videt, apertè me profiteri, ex Scripturis illa probari? Sed cæca carpèdi libido nihil videt. Ad rem præsentem redeo. Iustinus martyr scribit, Apostolos, quàm diu cum Christo conuersarentur, regnum eius spirituale per omnes gentes futurum ignorasse, & regnum aliquod temporale in sola Iudæa per illum restaurandum semper cogitasse (quod vel ex vltimis illorum ad Christum verbis Actor. cap. i. constare potest) ideoq; doctrinam de regno spiritali vnum ex illis fuisse, de quo Christus Apostolis dixit, *Adhuc multa habeo vobis dicere, &c.* Origenes cessationem legalium ab Apostolis, conuersante cum illis Christo, penitus ignoratam, à Spiritu sancto illis suggestam fuisse probat, atque hoc vnum eorum fuisse quæ Christus habebat illis dicere, sed quia talem rerum vetustissimum abolitionem adhuc nō capiebant, dicendum Spiritui sancto reliquisse, latè demonstrat. Idem etiã annotauit Didymus Alexandrinus. Hæc ab antiquissimis illis Patribus ante Augustini tempus annotata, & scriptis monumentis tradita, D. Augustinus in illa ad populū concione aut non est recordatus, aut propter causas allatas tacere voluit.

In explic.  
99. ad Gen-  
tes resp. 112

Lib. 2. con-  
tra Celsum.

Lib. 2. de  
Spiritu  
sancto

Alterum ex Augustino argumentum est: *Quis tam vanus aut temerarius, qui etiam si vera dicat, absque villo diuino testimonio affirmet ea esse quæ dicere tunc Dominus noluit?* Hæc hæud dubiè August. propter hæreticorum temeritatem dixit, qui sua figmenta propria hoc titulo obtudebant, quòd ex illorum numero esse dicerent quæ Christus tūc Apostolis loquutus fuerat. Atqui certū Catholice fidei dogma, quod Christum ore nunquam docuisse manifestè constat, de illorū numero esse quæ à seipso prætermittit Spiritui S. docenda Christus reliquit, qualia sunt illa quæ antiquissimi Patres asseruerunt, nullius planè temeritatis aut vanitatis est. Nec tã graues Doctores talia asserentes, S. August. summa semper modestia atque humilitas vllius temeritatis arguere voluisset.

Quare hæc Augustini sententiam ad rem suam non adeò multum facere sentiēs Calvinus, ita prosequitur. *Verum certior nobis ad eos refellendos ex Christi verbis suppetit ratio. Illam igitur attentè audiamus. Perfectus (inquit) veritatis magister dicitur Spiritus, quem pollicitus est Apostolis Christus. Istud omni dubio caret. Quid ex eo inferet? Quorsum autem*  
pro

promissus est, nisi ut acceptam ab eo sapientiam per manus viderent? Neque istud negari potest aut debet. Quid ex utroque sequetur? Datus est illis Spiritus, quo duce & direttore iuncto sibi officio defuncti sunt. Hæc verba rem eandem, quam secundo loco dixit, repetunt. Expectamus ut ad rem præteritam aliquid concludat. Eosdem (inquit) idem ille Spiritus in omnem veritatem perduxerat, quum doctrina sua summam scriptis complexi sunt. Hic suas partes egit Calvinus, id est, vitæ & impostorem. Iam enim præsupponit, & pro concessio lūmit, quod in quæstionem vertitur. Ponit, inquam, & pro concessio sumit, Apostolos doctrina sua summam scriptis complexos esse, quod nunc illi probandum erat; & annectit quod nulla probatione indiget, Dei Spiritum eos in omnem veritatem perduxisse. Disputat hoc loco contra Catholicos, qui in sola Scriptura omnem veritatem quærendam negant. Vale ille contrarium ex hoc loco probare. Id ut faciat, postquam de Spiritus sancti vera & perfecta doctrina Apostolis tradita, & vicissim ab Apostolis ad alios deriuata, duo verissima dixisset, concludit eosdem Apostolos ab eodem Spiritu in omnem veritatem perductos fuisse, quando omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt. At qui non queritur an absque diuini Spiritus assistentia Apostoli omnia scripserint, sed an omnia scripserint. Nemo dubitat in iis quæ scripserunt, affuisse illis Spiritum sanctum, qui eos in omnem veritatem induxit circa ea quæ scripserunt. Sed an omnia scripserint, & an omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi fuerint, id quæritur, id controuertitur: in eo causa principalis, & τὸ λεγόμενον versatur. Nunc Calvinus hoc totum modum literè ponit, & parum attento lectori blandè instillat, quædam rem per se notam suggerit, adiungens in hac descriptione Spiritum sanctum omnem illis veritatem aperuisse: & hoc adiunctum in sequentibus diligenter probat. Huic (inquit) doctrinæ quisquis aliquid addendum putat, ac si mutila esset, & semiplena, non modò Apostolos insimulat male fidei, sed in Spiritum blasphemus est. Si doctrina quam literis consignarunt tyronibus adhuc & nouitijs profecta esset, non superuacua accessio. Nunc verò quum eorum scripta quasi perpetua sint, & reuelationis tabula quæ illis promissa & præstita fuit, non potest sine atroci Spiritus iniuria quicquam illis addi. Hæc ille, & aliud quicquam in hoc genere. Aduerte, lector, Calvinus hoc adiunctum probare. Apostolos (quando doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt) habuisse Spiritum sanctum qui eos

Impostor  
Calvinus  
ponit quod  
probare  
contendit.

Adiunctum  
probat, rem  
in quæstio-  
nem posi-  
tam non  
probat.

omnia doceret, & propter Spiritus Sancti assistentiam, nec mutilam, nec semiplenam illorum doctrinam fuisse, ideoque nihil ei doctrina addi posse, sed esse illorum scripta perpetuas tabulas reuelationis illis promissa ac prestita. Et quidem si omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexi sunt, hæc omnia quæ de Spiritu S. assistentia dicuntur, nemo non admitteret. Si principale esset verum, adiunctum nemo negaret. Sed hoc principale illud est quod negatur, Apostolos omnem doctrinam suam summam scriptis complexos esse. Hoc Caluino incubuit isto loco probandum. Huius causæ principalis probatione penitus dissimulata, aliud adiunctum probat, quod nulla probatione egebat. Sic ille egregiè impostorem & verteratorem egit.

Atqui Apostolos nullo modo omnem doctrinæ suæ summam scriptis complexos fuisse, sed plurima fidei dogmata & ad cultum religionis Christianæ necessaria, sine scripto tradidisse, ex antiquissimis & probatissimis Patribus, illud disertissime asserentibus, Dionysio Arcopagita, Basilio, Chrysostomo, Eusebio Pamphili, Origene, Augustino, Epiphanio (ad quorum ora vultusque, hæreticorum omnium frons, si quam haberent, meritò erubescere debuit) alio in loco commemorauimus, multisque dogmatum exemplis demonstrauimus.

Nunc Caluinus ad aliud disputandi genus se conuertens, res ipsas, quas sine scripto ab Apostolis tradi Catholici affirmant, admodum putidè & ridiculè impugnat: in quo tamen audiendus est. Porro (inquit) quum ad res ipsas ventum est, plusquam ridiculi sunt Papistæ. Illa enim arcana quibus portandis impares erant Apostoli, pueriles esse definiunt, quibus nihil inanius vel magis fatuum: Descendere scilicet è calo Spiritum oportuit ut discerent Apostoli quo ritu sacrandi essent calices, cum suis altaribus, benedicenda campana, benedicenda aqua lustralis, & Missa celebranda. Vnde igitur discunt maiores & pueri qui ad unguem tenent hæc omnia? Nihil itaque apertius quam Deo illudere Papistas, quum è calo prodijisse fingunt quæ tam Cereris aut Proserpina mysteria sapiunt, quam abhorrent à sincera Spiritus sapientia. Hæc ille. Recordor hic illud Catonis grauiissimi Senatoris verbum, Quum Ciceronem audiret in defensione L. Murenæ viri militaris petorantem, ideoque iuris civilis studium quo Murenæ competitor Ser. Sulpitius celebriter floruit, ad summum eius contemptum his verbis exagitantem, Res sunt parua, propè in singulis literis

Apostoli  
omnem do-  
ctrinam si-  
dei non  
scripserunt.  
Ecccl. hier.  
cap. 1.  
Lib. de Spi-  
ritu S. cap.  
27.  
Hom. 1. in  
Acta.

Demonst.  
Euag. li. 1.  
Lib. 1. cõ-  
tra Celsũ.  
De bapt.  
con. Do-  
nat. lib. 2.  
c. 7. & lib.  
5. cap. 23.  
Her. 61.  
De prin-  
cip. fid. lib.  
12. cap. 16.  
Caluini  
crimina-  
tiones in  
re grauis-  
sima rudi-  
cula.

atque interpunctionibus verborum occupata: putidis ineptis fucata sunt omnia. Ego, si stomachum mihi moueritis, iridus me iuris cōsultum esse profitebor. in hæc verba Cato erupit: Quam ridiculum habemus Consulem! Causam quippe grauissimam de renunciando nouo Consule agens, suo iam Consulatu propè defunctus, hac oratoria licentia fatis ridiculè vsus est. Nos verò in hac Caluini declamatione, bis ridiculum Censorem habemus, qui causam grauissimam tractans, & de diuinis dogmatibus, quæ Spiritus S. assumpto in cælos Christo, Apostolos docuit, disputans, ad summum eorum contemptum res quasdam leuiore proponit, ea quæ grauiora sunt diffimulat ac prætermittit, non vt rerum diuinarum tractaret grauis, sed veluti in scena ac theatro rhetorculus leuis & ridiculus histrio. Iam ex grauissimis & antiquissimis Patribus Gregorio Nazianzeno, Iustino Martyre, & Origene tria grauissima fidei capita produximus, quæ à Christo præsertim Spiritus S. Apostolos docuit. Multa sunt alia apud Dionysium Areopagitam, Basiliū, Augustinum, locis à nobis citatis. Cuius etiam de toto ordine diuini sacrificij celebrandi, quam Cœnam Dominicam vocare malunt nouatores, hæc grauissima & vera vox est. *Saluator quò vehementius cōmenderet mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit ingere cordibus eorum memoria Discipulorum, à quibus ad passionem ingressurus erat. Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruari hunc locum.* Hæc Augustinus. Ad hunc autem ordinem pertinent quæ de altaribus, calicibus, campanis, ac demum Missa celebranda, hic histrio tam contemptim loquitur. Qui facie sic ea ludibrio exponit, vt suam plusquam puerilem fatuitatem ludibrio subiciat. Quid enim? Moriones & pueri Missam celebrare norunt? Sic enim loquitur: *Moriones & pueri ad vnguem tenent hæc omnia. Quam hic ridiculum habemus crinatorum! Nihil apertius quam Deo & sacris omnibus aperte illudere Caluinum, qui totam Christianorum Liturgiam in qua offertur quotidie sacrificium pretij nostri, vt loquitur Augustinus; litatur hostia eorum sacrificium consummatur, vt loquitur Chrysostomus; imò ipse Christus in sacris mysterijs se ostendit, vt idem alibi loquitur, & conspiciamus Dominum immolatum. Nam omni die populis immolatur, ait Augustinus; vbi in horrendissimis mysterijs (ait iterum Chrysostomus) bene precatur sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti: comprecamur enim tunc omnes (ait Iustinus Martyr)*

Epist. 118.  
cap. 6.

Caluinus  
histrio ri-  
diculum.  
Sacrificij  
Christiani  
testimo-  
nia.

Confess. li.  
9. c. 12.

Hom. 5. in

1. Timo. 5.

De incom-  
prehens.

Dei nat.

homil. 1. &

lib. 3. de sa-  
cerd.

Epist. 23.

Homil. 18.

in 2. Cori.

Apol. 2.

conclusisq; precibus, panis, vinum & aqua offeruntur; vbi stamus omnes adorationem (ait Cyprianus) & sacerdos ante orationem praefatione praemissa parat fratrum animos, dicendo, *Sursum corda, dum respondet plebs, Habemus ad Dominum: quod ne tunc frustra dicamus, nec cor in terra ponamus, sed sursum eleuemus, monet Augustinus: quia quum centum & sexaginta horas habeat hebdomada, illam unam & solam sibi segregavit Deus, ait Chrysostomus, de Missa diei Dominica loquens, cui ex praeepto totus populus interesse debet; hanc, inquam, totam Liturgiam, hunc totum Dei cultum, tam Ceteris aut Proserpinae mysteria sapere quam à sincera spiritus sapientia abhorreere affirmat. Annon hoc est Diagorā quendam aut Lucianum agere, totamque Christianorum religionem in quotidiano Missae sacrificio maximè eminentem, & tot illustrium Patrum testimoniis commendatam, in summum opprobrium atque vilipendium adducere? Sed de his satis. Videamus nunc sequentia.*

Nos verò (inquit) nisi velimus ingrati esse Deo, acquiescimus in ea doctrina cuius auctores esse Apostolos scripta eorum testantur: quando summa illic caelestis sapientia perfectio nobis prodita est, qua hominem Dei perfectum reddat: ultra eam progredi fas non esse putemus. Nam altitudo nostra & latitudo & profunditas in eo posita est, ut sciamus charitatem Dei qua nobis exhibita est in Christo. Hac cognitio omnem scientiam supereminet, ut inquit Paulus: ut quum tradit in Christo absconditos esse omnes sapientia & scientia thesauros, non aliquem ignotum Christum fabricat, sed quem sua praedicatione ad vivum depinxit, ut cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas. Huic orationi ad speciem honesta, sed varia fallacia plenè breuiter respondeo. Nos nisi velimus non ingrati tantum Deo, sed & sacrilegi ac rebelles esse, acquiescimus in ea doctrina quam ab Apostolis traditam esse, Ecclesia Dei summa consensione & ab ipsis Apostolorum temporibus nos docuit: quando summa caelestis sapientiae perfectio ab Ecclesia nobis prodita est, quam columnam & firmamentum veritatis idcirco Paulus vocat, & in quam veluti amplum quoddam & diues depositarium Apostoli omnia quae sunt veritatis contulerint, ait Irenaeus; qui etiam accepta à Christo & Spiritu S. mysteria partim in sanctis ac theologicis libris commendarunt, partim ex animo in animum medio intercurrente (praedicationis) verbo sine literis transfuderunt, ait Dionysius Arcopagita:

In Sermo.  
de orat.  
Domin.

De verb.  
Domini  
serm. 20.  
serm. de  
Euchar.  
tom. 3.

Coloss. 1.  
28.

Eph. 3. 8.

Colos. 2. 3.

Gal. 3. 1.

Ecclesia  
doctrina  
tenenda.

2. Tim. 3.

Lib. 3. c. 4.  
& lib. 5.

Dionys.  
Eccle. hie.  
arch. c. 1.



- quia & ad hoc dati sunt Ecclesiae Pastores & Doctores, ut  
 Ephes. 4. *occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram etati plenitudinis Christi.* Extra Ecclesiam aliquid sapere fas non esse  
 puremus. Nam altitudo nostra & latitudo & profunditas  
 in eo posita est, ut sciamus charitatem Dei, quae nobis exhibita  
 est in Christo. Haec enim charitas Dei nobis per Christum  
 exhibita hoc imprimis à nobis postulat, ut Deum vicissim  
 diligentes, atque in Deo proximum, maxime domesticos  
 fidei, totam fidelium societatem, eiusque societatis  
 duces ac praefectos singulari quodam affectu, non amotis  
 tantum, sed & reuerentiae prosequamur; quando haec societas  
 sanctorum Christi corpus & sponsa est, in quo qui carere  
 praeficiuntur, positi à Spiritu S. ut regant reliquum Ecclesiae  
 corpus, ipsum Christum referunt; *pro Christo legatione funguntur,*  
 2. Cor. 5. *& qui eos audit, Christum audit, qui eos spernit, Christum spernit.* Haec charitatis cognitio non speculativa sed  
 Luc. 10. *practica, omnem scientiam supereminet, ut inquit Paulus, quia quantum quisque diligit Ecclesiam, tantum habet & Spiritum S.*  
 Tract. 12 *ait sapienter Augustinus. Quare quasi Paulus tradit in Christo*  
 in Ioan. *absconditos esse sapientiae & scientiae thesauros, non aliquid ignotum Christum fabricat, qualem sibi quisque haereticus fingit, sed qualis ab Ecclesia praedicatur, qualis in corpore suo apparet; qualiter eum illi describunt, quibus potestatem dedit docendi omnes gentes; ut ea omnia seruari ac facere Christus praecipit: quale denique sua predicatione ad vivum depinxit Paulus, ut cernatur quasi ante oculos nostros crucifixus, quemadmodum dicit ad Galatas: quod cerè non idè dixit, quia totam de Christo doctrinam, & omnes illos absconditos in Christo sapientiae & scientiae thesauros, per illa ad Galatas verba, Galatis à se explicata & tradita Paulus innuere voluerit; sed idè dixit, quia veritatem de Christo crucifixo in summitter iam dudum Galatae crediderunt, ut non secus in Christum pro se crucifixum crediderint, quam si ante eorum oculos ipsique videntibus crucifixus fuisset. Quis vos (inquit) fascinant non obedire veritati id est, non manere constantes in fide ac cepta, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est in vobis crucifixus? Nihil ergo ad rhombum haec tota Calvini conicio. Nos scripturis Apostolicis libentissimè ac tenacitè me adhaeremus; sed Ecclesiae vocem eadem propensè complectimur, ad quam arctissimè complectendam ipsi non imprimis Apostolica scripta adhortantur. Calvinus non suis, solis Scripturis acquiescere nos vellet, ut hoc modo*

Calvini  
 conicio ni-  
 bil ad  
 rhombum.  
 Solo scri-  
 pturis cur  
 adhaerent  
 haeretici.

tum Ecclesiam Iudicem magno suo commodo declinatet, tum in deprauandis pro libito Scripturis licenter versatus, omnem de fide quæstionem ad suum arbitrium ac iudicium (maximo totius religionis malo certaque pernicie) retineat. Sed has eius fraudes, ut Dei beneficio facile aduertimus, ita perlibenter aliis patefacimus.

Prosequitur adhuc, ut aliquid demum pro sola scripturatum perfectione conclusisse videatur. *Ceterum* (inquit) *ne qua maneat ambiguitas, Christus ipse postea suis verbis explicat, quam illa sunt que nondum ferre poterant Apostoli. Que ventura sunt* (inquit) *annunciabit vobis. Hoc quidem nonnulli ad Spiritum prophetie restringunt: sed, meo iudicio, potius futurum regni spiritualis statum designat, qualem paulo post resurrectionem eius Apostoli viderunt, sed tunc comprehendere nullo modo poterant. Non ergo vaticinia illis promittit de rebus post eorum mortem futuris, sed tantum significat aliam fore regni sui naturam, & gloriam longe maiorem quam nunc animis concipere possint. Cuius arcana sapientia (quam per Ecclesiam cœlestes quoque Angeli cum admiratione discunt) thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios à primo capite usque ad finem quarti. Quare non est quod à Papa archinis vel scrinijs petatur. Hæc Calvinus. Summa est ea quæ nondum ferre poterant Apostoli, ad futurum regni Christi spiritualis statum, eiusque arcana sapientiam pertinere; cuius thesauros Paulus explicat in Epistola ad Ephesios, primis quatuor capitibus. Inuenit nunc ergo ipse Calvinus, quod ex verbis Augustini inueniri non posse voluit, quædam à Spiritu sancto Apostolis tradita quæ docente Christo portare non poterant. Ita aut profus inceptè Augustini verba citauit, aut sibi ipsi contradicit. Quod autem nunc agnoscit Apostolos à Spiritu sancto didicisse, statum videlicet regni Christi spiritualis, multò latius patet quam quæ Paulus in Epistola ad Ephesios scribit, & omnia illa complectitur quæ iuxta noui testamenti statum, nouæque Ecclesiæ formam, de Trinitate, de Verbo incarnato, de Sacramentis, totòque externo cultu, vel distinctius & explicatius credenda, vel de nouo in religionis usum assumenda erant. Sanè fidem Trinitatis distinctam, fidem esse Christianorum propriam, sapienter annotarunt sancti Patres, Basiliius libro 2. contra Eunomium, & Cyrillus in Ioan. lib. 9. cap. 30. Paulus in Epist. ad Ephesios, primo quidem capite totum uocationis Christianæ mysterium Christi que Redemptoris*

*Statu regni Christi spirituali late patet.*

*Summa prioris 4. cap. Epist. ad Ephesios.*

gloriosissima merita, & præmia gloriosa verbis magnificentissimis proponit atque enarrat, ut ad fidei profectum Ephesios suos hortetur. In secundo cap. ipsorum Ephesiorum ad fidem Christi vocationem, eiusque beneficium multis verbis amplificat, partim à statu seruitutis peccati in quo prius erant, partim à redemptione per Christum facta, & gratia Iustificationis per illum accepta, partim denique ab unione quæ nunc illis cum Deo est. In cap. 3. vocationis Gentium mysterium sibi cæterisque Apostolis reuelatum esse docet, ideóque ne ob eius tribulationes Euangelij causa animos remittant, sed ad omnem potius in fide perfectionem strenuè contendant, sublimi oratione verbisque magnificis hortatur. In 4. cap. ad unitatem fidei mutuamque charitatem sollicitè retinendam studiosè hortatur: ideóque de hierarchica Ecclesiæ potestate ad hanc unitatem conseruandam à Christo instituta, deque intima omnium fidelium connexionem sub vno capite Christo differit; móxque ad vitæ puritatem exhortationem aggreditur. Hæc est eorum quatuor capitum summa, & hos thesauros arcanae Dei sapientiæ Paulus illis aperuit. Sed nunquid propterea omnes arcanae sapientiæ thesauros, aut omniem statum regni spiritualis Christi in illis 4. capitibus Paulus complexus est? In totaliis Epistolis eius, & maximè in nobilissima illa ad Romanos Epistola, vbi quatuordecim spiritum suum Paulus effudit, nullos præterea arcanae sapientiæ thesauros exprompsit, nihil præterea de regno Christi spirituali tradidit? Aut si multa in illis eaque amplissima arcanae sapientiæ mysteria ab istorum 4. capitum materia differentia deprompsit, multaque alia ad Christi regnum spirituale pertinentia docuit, quæ in his 4. capitibus non docentur; quomodo ex tota hac disputatione concludit Calvinus Apostolos omnem doctrinæ suæ à Spiritu Sancto acceptæ summam scriptis complexos fuisse? Aut si hoc non concludit, quorsum hæc omnia afferuntur? An non voluit ex Christi verbis certam rationem inuenire ad nos refellendos, qui in scripturis omnia contineri negamus? Hic illi huius disputationis scopus ac finis fuit. In qua tamen quum præter morem suum prolixus fuerit, nihil conclusit, nihil probauit, sed longa oratione detentum lectorem, attonitum magis non didit, quàm instructum reliquit.

*Catholica  
sententia  
frustra à  
Caluino  
impugnata.*

Manet ergo hæc Christi sententia nobis integra, nequequam reluctantem & recalcitrantem Caluino; Spiritum S. Apostolos multa docuisse quæ Christus viva voce eos necdum omnium

omnium capaces non docuerat. Vnde concidit illud Caluini paradoxum quod cap. 14 suadere conatus est, Spiritum sanctum nihil aliud Apostolos docuisse, quàm quod eos Christus antea ore docuerat; & ad hoc restringi Spiritus Sancti officium, quòd suggerat quæcunque Christus dixit, non doceat aliquid de nouo. Quod etiam suum paradoxum infra iterum hoc eodem capite repetit. *Certè (inquit) non alia docuit Spiritus Apostolos, quàm quæ audierant ex ore ipsius Christi.* Ita sua placita mordicus tenet Caluinus, etsi absurdissima, etsi millies refutata. Rursum manet firmum quod Catholici asserunt, non omnia in Scripturis sanctis expressa esse quæ ad fidei doctrinam pertinent; nec illud assertum tota hæc Caluini disputatio vlla ex parte labefactauit. Ingenti visus est hoc assertum ariete concutere. Sed non nisi verborum fumus ac strepitus est quem concitauit.

Ad ver. 29

Nunc vim verborum Christi veram & orthodoxam paucis exponemus. *Multa (inquit) habeo vobis dicere, id est, multa adhuc supersunt quæ à me veritatis magistro, ipsaque veritate, dicere & audire debeatis, quæ non potestis portare modo,* quorum necdum capaces estis; tam propter debilitatem vestram, quàm propter res ipsarum nouitatem, multitudinem, & magnitudinem. Sed tamen ne propterea hac necessaria doctrina mea vos destituendos putetis, *Cùm paraclētus ille venerit, de quo iam dixi vobis, qui Spiritus veritatis est,* tum ratione effectus, quia vera sunt omnia quæ docebit; *ille docebit vos omnem veritatem, siue deducet vos in omnem veritatem.* *Ἰνὴν αἰς πᾶσαν ἀλήθειαν.* Deducet seu manuducet, quia illi reuelanti mysteria cooperari vos oportet. Ducitur enim ab alio qui etiam opera venit, non trahitur, non portatur. Sic Apostoli post magnam disquisitionem suamque operam præstitam deducti sunt in illam conclusionem: *Visum est Spiritui sancto & nobis.* Rursum, *deducet vos in omnem veritatem,* quia non simul & semel vno momento omnem veritatem aperiet, sed paulatim ab vna in aliam deducet. Sic Petrus, accepto Spiritu sancto in die Pentecostes, distinctè tamen adhuc ignorauit an Gentes essent baptizandæ, vt visione de cælo illa opus fuerit. Deinde *deducet vos,* quia perpetuò nobis aderit hic Spiritus veritatis, vt in fidei dogmate tradendo non possitis errare. *In omnem porrò veritatem deducet multis modis.* Primum quia in memoriam vestram reducet omnia à me dicta ac facta, vt ea vel scripto committere (quod illorum nisi duo fe-

Verba Christi explicatur.

Spiritus veritatis

Act. 15

cerunt, Ioannes & Matthæus, ) vel absque scripto posteris tradere possitis, quod reliqui omnes fecerunt. Tum ipsa mea dicta ac facta vobis explicabit, suoque lumine efficiet, ut singula intelligatis quæ hæcenus non intellexistis. Deinde & multa alia quæ ego habeo quidem vobis dicere, sed nondum dixi, vobis manifestabit, siue quæ ad dogmata, siue quæ ad mores, siue quæ ad Ecclesiæ regimen spectabunt, prout vel populus credentium capere poterit, vel noua aliqua difficultas nouam & explicatiorem doctrinam postulat. Tandem veteres scripturas, prophetias, figuras de me ac regno meo spiritali idem Spiritus veritatis vobis aperiet, explicabit, claras ac dilucidas efficiet. Sic in omnem veritatem vos deducet. Id autem certissimè fiet, quia non loquetur à semetipso, quasi suam aliquam sibi que propriam ac singularem doctrinam adferret, sed quacumque audiet, loquetur: quia videtur sicuti essentiam sic etiam scientiam omnem aliunde accipit. Et quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Dono quoque prophetiæ vos donabit, quatenus ad Ecclesiæ meæ ædificationem utile ac necessarium fuerit. Ille me clarificabit: meam diuinitatem toti mundo patefaciet: in rō ius, ex illo, inquam, meo, ex mea diuinitate, quatenus à me procedit: non quia non ab æterno eam accepit, sed dico, accipiet, & annuntiabit vobis, ut intelligatis eum eo ipso tempore de mea diuinitate (de mea, non meam, quia totam accipere & audire ab eo non potestis) accipere quæ vobis de illa annuntiat quia quod æternum est, omne tempus complectitur. Nolite igitur anxij esse vel de meo discessu, vel quia non dixi vobis omnia. Per hunc Spiritum veritatis abundè vobis erit prospectum. Hæc hoc loco Christi sententia ac doctrina est.

Summa est, Christum Ecclesiæ suæ docenti Spiritum sanctum sanctum promittere, qui eam omnem veritatem doceat, ut Spiritus sancti doctrinam in Ecclesiæ voce quæramus, in Apostolorum prædicatione de manu ad manum per eorum successores ad nos deriuata, non in solis scriptis Apostolicis & Euangelicis, cum nec omnes Apostoli scripserint, sed quatuor aut quinque tantum, nec ut omnia scriberent, vel si propositum esse, ij qui scripserunt vsquam insinuant, nisi mandatum ea de re vsquam extet, cum de prædicando & in uia uoce docendo luculentissimum mandatum acceptum idemque suis scriptis consignatint.